




600096072U


CONIECTANEA

AMMIANEA

CODICE ADHIBITO VATICANO

SCRIPSIT

V. GARDTHAUSEN,
PHIL. DR.



KILIAE
IN AEDIBUS SCHWERSIANIS.
MDCCCLXIX.

ARNOLDO SCHAEFER

PRAECEPTORI OPTIMO.

Coniectanea Ammianea.

Ammianum Marcellinum quas composuit Historias non uno eodemque tempore perfectas atque absolutas, sed antea pro amicorum doctorumque hominum coronis particulatim recitatas evulgavisse, intervallis plus minusve longis interpositis, cum diserto Libanii testimonio constat, tum hodie etiam ex ipsius operis apparet indole atque natura. Haud enim paucae unicuique fere libello intermixtae sunt digressiones („excessus“ ab ipso vocatae auctore), quibus tamquam orationis luminibus amicorum delectare studuit animos famamque affectabat Marcellinus exquisitae doctrinae atque reconditae. Nimirum aut oblata occasione aut arrepta copiosius disseruit hisce de rebus:

14, 6, 3—26 de vitiis Romanorum,
14, 11, 25—26 de Adrastia vel Nemesi,
14, 11, 29—34 de vicissitudinibus fortunae,
17, 4, 1—23 de obeliscis et hieroglyphicis,
17, 7, 9—14 de terrae motibus,
19, 4, 1—8 de pestilentiae causis et generibus,
20, 3, 1—12 de solis lunaeque defectibus,
20, 11, 26—30 de arcu coelesti,
21, 1, 7—14 de variis generibus futura praenoscendi,
21, 14, 2—5 de Genio,
23, 4, 1—15 de belli machinis,
23, 5, 9—10 de oraculis dubiis atque fallacibus,
24, 3, 12—13 de palmarum maritandarum arte,
25, 10, 2—3 de cometis,
26, 1, 8—14 de ratione bissexti annoque romano,

28, 4, 5—35 de moribus urbis Romae,
30, 4, 3—22 de oratoribus et causidicis,
31, 5, 10—17 de externorum populorum incursionibus. —

Accedunt digressiones, quibus terrarum situm moresque hominum descripsit Ammianus:

14, 4, 1—7 de Saracenis,
14, 8, 1—15 de orientis provinciis,
15, 4, 1—6 de lacu Brigantiae,
15, 9, 1—12, 6 de Gallia,
18, 9, 1—4 de Amida,
22, 8, 1—48 de Maris Aegaei litoribus Pontique Euxini,
22, 14, 7—16, 24 de Aegypto,
23, 6, 1—88 de Perside,
27, 4, 1—14 de Thraciarum provinciis,
31, 2, 1—25 de Hunnis et Alanis. —

Quam scientiam unde hauserit Marcellinus, alia occasione me spero demonstraturum esse; nunc singulos deinceps aggrediamur locos, quibus medelam invenisse mihi videor, additis nonnullis, quos, quamquam sanaverunt antea viri docti, tamen corruptos legimus in editionibus vulgatis. Ad eamque rem maximo nobis est adiumento novum idque praestantissimum artis criticae factitandae subsidium.

Singulari enim humanitate atque liberalitate vir doctissimus Huebnerus berolinensis, precibus commotus praeceptoris mei venerabilis Arnoldi Schaeferi, mihi permisit, ut in digressionibus geographicis emendandis schedis uterer, quibus accuratissime Vaticani sive Fuldensis libri longe optimi enotaverat lectiones varias.

14, 4, 1—7.

14, 4, 2*). Super quorum moribus, licet in actibus principis Marci, et postea aliquoties meminerim retulisse.

Priora prorsus eodem modo leguntur in libro Vaticano, sed in fine: aliquotiens **memineritt**ulisse.

*) Textum affero editionis Wagnerianae Lipsiae MDCCCVIII.

Triplex est apud Ammianum usus vocabuli „licet"; et absolute ponitur et coniungitur cum coniunctivo et cum indicativo:

19, 6, 8 Verum audito licet levi — — sonitu — —
20, 11, 14 Romani licet difficile defensabant — —
23, 6, 49 Sunt etiam civitates, licet numero paucae.
23, 6, 66 Urbibus, licet non multis — — celebrabantur.
23, 6, 88 gemmae — — licet dignitate dispari.
22, 16, 12 licet minuatur exilitate verborum.
23, 6, 47 Ac licet abundet urbibus — —
16, 10, 11 Quae licet adfectabat — — —
19, 3, 3 licet — — nullus — — poterat introire.
20, 3, 3 Ac licet utriusque sideris conversiones et motus — — — conveniunt.
24, 1, 4 Classis licet per flumen ferebatur — —
27, 11, 2 Et licet potuit, quoad vixit — —

Indicativum nostro loco liber tuetur Vaticanus, modo duae transponantur litterulae: meminirettulisse (cf. 22, 8, 2: consilit pro conlisit; 22, 8, 10 munitissimi pro minutissimi; 22, 8, 38 omntes pro montes etc.). Ergo scribendum censeo: — — et postea aliquotiens memini me rettulisse. —

14, 4, 3 — — equorum adiumento pernicium graciliumque camelorum per diversa reptantes. — —

Quid sibi volunt ista? Num re vera Ammianus Saracenos, quorum apud Romanos nota erat celeritas atque formidata, repere putandus est dixisse? Praeterea haec verba „per diversa reptantes" ne in ea quidem quadrant, quae antecedunt („discursantes" — „milvorum similes" — „volatu rapiunt celeri" — „equorum pernicium graciliumque camelorum"). — Quae cum ita sint, verba illa, quae mihi quidem gravissimae sunt offensioni, mutare non dubitavi scribendo: — — „equorum adiumento — — per diversa*) se raptantes" [per diversa raptantur?]; qua scriptura probata, celeritatis notionem assecuti sumus vel maximam. —

Restat, ut exempla afferam huius loquendi usus:

14, 2, 18 — — ut si quis sese proripuisset interius — —
20, 6, 4 — — ad interiora ferocius se proripientes,

*) cf. 31, 2, 4 Anthropophagos palari accepimus per diversa.

30, 7, 6 — — ad nostra se proripiens,

17, 12, 2 ne (equorum plurimi) — — exagitati raptentur; cf. Hirt. d. bello Afr. c. 73 ut legiones non uno in loco contineret, sed — — huc atque illuc raptaret.

14, 8, 1—15.

14, 8, 1. Isauria pari sorte (V: sonte) uberi palmite viret (V: viget, suprascr. litt. r.; cf. p. 5) et frugibus multis. —

Quae verba quamquam auctoritate defenduntur libri Vaticani, tamen opus est, ut mutentur. Facile enim perspicitur „pari sorte" referendum esse ad Ciliciae epitheton „dives bonis omnibus"; quae verba explicaturo Ammiano vocabulis utendum erat, quae non in universum valerent; et necesse erat, nominari fruges, quibus abundaret Jsauria. Praeterea „frugibus multis" non convenit cum „uberi palmite" quae pars est multarum frugum. Dicendum enim erat aut: „uberi *praecipue* palmite viret et frugibus multis" aut: „uberi palmite viret et *aliis* frugibus multis". Circumspicientibus nobis, quae sint remedia adhibenda, ultro fere locus sese offert, quem eidem Ammianus desumpsit chorographo: 23, 6, 41 Persis habitatur antiqua minutis*) frugibus dives et palmite.

Hoc collato loco, non iam metuendum est, ne crimen mereamur temeritatis, si scribere audeamus: Jsauria pari sorte uberi palmite viget et frugibus *minutis*", de quibus uberius disseruit Salmasius Exerc. Plin. p. 208 (ed. Traiecti ad Rh. MDCLXXXIX) „Et minutae fruges tam frumenta quam legumina dicebantur ad discretionem maiorum frugum, ut sunt arboreae. Nam arboreas fruges Cornificius dixit arborarios fructus. — — — Per minutas fruges intelligere palam est frumenta et legumina. *Λεπτοὺς καρποὺς* Graeci appellant."

14, 8, 5 quam plagam Nicator [al. Nicanor] Seleucus occupatam auxit magnum in modum. —

---

*) cf. Cic. in Verr. 2, 37 L. Octavio, C. Cotta coss. senatus permisit, ut vini et olei decumas et frugum minutarum, quas ante te quaestores in Sicilia vendere consuessent, Romae venderent.

Hoc loco mihi liceat codicis demonstrare indolem atque naturam, quaenam ratio intercedat inter utrasque libri Vaticani manus; praebet enim 14, 8, 5 „Nicator" suprascr. litt. n.; et prorsus eodem modo 23, 6, 3 et 23, 6, 23 „Nicatore" et „Nicatoris" legimus suprascripta littera n. Formam „Nicator", cum et titulorum rerumque scriptorum auctoritate defendatur, et praeterea priore exarata sit manu, retinere non dubitamus. Habes igitur exemplum luculentissimum, quo concludi opus est librum Vaticanum a librario quodam correctum esse codice adhibito deterioris classis.

Eandem ob causam paullo antea (14, 8, 1) restitui „viget" pro „viret".

Similem habemus locum 22, 16, 9 „ex Parthenio (suprascr. Paretonio) pelago venientes" ubi „Paretonio" h. e. „Paraetonio" (cf. 22, 16, 5) sensu carere apparet.

23, 6, 22 Formam „Samiramidis", quae libri Vaticani commendatur auctoritate, Ammiano reddendam esse censeo, quamquam suprascriptum extat: „Semiramidis." —

Prorsus eodem modo 23, 6, 47 legitur priore manu exaratum: „**Gea**polim", quod unum esse verum ex Ptolemaei verbis, quem secutus est Ammianus, demonstrare possumus; postea „**Gea**polim" expunctum est et suprascriptum: „**Hiera**polim".

14, 8, 12 pro vocula „et" lego „sed": sed *) in locis plurimis etc.

14, 8, 13 quae (castella) — — sollicitudo pervigil veterum per opportunos saltus erexit et cautos.

Si quis unquam hunc locum non praeoccupata inspexerit mente, dum legit „caut**os**" mutaverit in „caut**es**". Quam scripturam unice veram primus proposuit Reinesius in margine exemplaris sui adnotatam; neque ullius momenti sunt Wagneri hallucinationes, qui „cautos" accepit pro „tutos".

Ergo sine dubio scribendum: per opportunos saltus erexit et caut**es**. —

*) cf. Vaticani l. scripturam 23, 6, 1: et quid debeat praeteriri etc.

15, 9, 1—15, 12, 6.

15, 9, 1. Proinde quoniam (ut Mantuanus vates praedixit celsus) maius opus moveo, maiorque mihi rerum nascitur ordo — — —

Vergilianum illum versum legimus in Aeneid. l. VII v. 44—45 (ed. Ribbeck).

— — maior rerum mihi nascitur ordo,
maius opus moveo.

Hanc verborum collocationem, quamquam desideramus nostro loco, Ammiano inculcare minime nostrum est. Neque video, cur editores verba transposuerint, cum Vaticanus exhibeat liber: opus moveo maius, maiorque etc. — Illis vero, si constare sibi volunt, ordo duorum orationis membrorum immutandus est, Vergiliana inlata dispositione. Contra ea suo quodam iure Ammianum „maius“ et „maior“ coniunxisse putamus.

In eis, quae sequuntur, vocabulum „ordo“ codicis Vaticani auctoritate carere videtur, quippe quod recentiore tantum manu adscriptum extet. Vestigia tamen restant huius vocabuli; ante „Galliarum“ enim legitur „de“ h. e. „do“ et propter antecedentis verbi (nascitur) finem prior illa syllaba „or“ facile intercidit.

15, 9, 4 In libro Vaticano legitur: „Drasidae“, 15, 9, 8: „Dratias“ et „Dryaridae“. Ammianus igitur putandus est scripsisse: „Drasidae“.

15, 10, 7 Huius sepulcrum reguli etc.

Cavendum est, ne quis hoc loco mutare velit, quamquam illud „huius“ non habere videtur, quo recte referatur. Redit enim Ammianus § 7 ad eum fontem, quem § 2 reliquerat, interpositis nonnullis (§§ 3—7) quae de suo addiderat. —

15, 10, 9 Primam Thebaeus Hercules ad Geryonem exstinguendum, ut relatum est, et Tauriscum lenius gradiens, prope maritimas composuit Alpes: hicque Graiarum indidit nomen.

Haec Valesium secuti recentiores omnes editores receperunt contra Vaticani libri auctoritatem, quae „harum“ tuetur

scripturam, non „Graiarum“, quae quin revocanda sit in textum dubitari nequit. Recepta enim Valesii coniectura, antecedentia „*prope* Maritimas Alpes“ falsa sunt; Alpes enim Maritimae et Graiae minime confines. Cottiis secernuntur Alpibus. Accedit, quod Hercules, qui in itinere Monoecum condidit, non putandus est viam munivisse prope Rhodanum lacumque Lemannum. Scribendum est igitur: — — prope Maritimas composuit Alpes, hisque (V: hique) *harum* *) (fort. earum) indidit nomen.

15, 10, 10 Saguntinis memorabilibus aerumnis et fide, pertinaci destinatione Afrorum obsessis, etc.

Cum in libro Vaticano hanc inveniamus verborum collocationem: aerumnis pertinaci et fide etc. praecavendum est ne quis edat: „aerumnis et pertinaci fide“. —

Extat enim Sallusti, quem saepius (cf. p. 9) sequitur Ammianus, fragmentum (Hist. I, 21 ed. Dietsch.) quo verbum illud „fide“ tali caret adiectivo: „Saguntini fide atque aerumnis incluti“. — At „destinatione“ vocabulo nunquam usus est Ammianus, nisi tali addito epitheto:

16, 12, 37 sed destinatione nimia dexterae dexteris miscebantur.
27, 4, 10 has gentes — — M. Didius ingenti destinatione pressit.
29, 5, 6 quae abundans divitiis et destinatione feminea.

15, 10, 10 Sed civitate Poenorum Marte deleta etc.

Quoniam paulo antea edocebamur Saguntinos *Afrorum* pertinaci destinatione obsessos esse, nostro loco illud „Poenorum“ prorsus supervacaneum esse apparet. Pro hac nescio cuius coniectura expectamus: „nimia potentia“ vel „superiore belli fortuna“ e. q. s. s. — Propterea sine dubio recipienda videtur libri Vaticani scriptura „*potiore* Marte“, quam veteres ut Lindenbrogius in textum inserere non haesitaverunt. Vocabulum enim „potius“ Ammianum in deliciis habuisse his demonstratur exemplis:

15, 11, 11 aliis potiores oppidis multis — —
20, 5, 7 ad potiorem veniat gradum,
21, 12, 14 ex potioribus numeris miles — —

*) cf. 15, 12, 5 — — hoc indidit cognomentum.

23, 6, 25 potiores ante alios amnes,

23, 6. 43 et haec potiora residuis sunt oppida,

26, 1, 4 qui cum potiorum auctoritate displicuisset. e. q. s. s. —

Quid sibi indulserit Marcellinus in coniungendis adiectivis cum Martis nomine ex his apparet:

14, 8, 13 glorioso M.; 17, 12, 2; 21, 12, 8 aperto M.; 19, 1, 9 acerrimo M.; 23, 5, 20 perplexo et diuturno M.; 23, 6, 22 incitato M.; 31, 3, 8 peregrini M. etc.

15, 10, 11 excisaque rupe — — quam cremando vi magna flammarum acetoque infuso dissolvit.

Hoc loco Vaticani codicis scripturam ceteroquin recte sub textu editionis Wagnerianae repetitam invenimus, praeterquam quod „infuso" ante „acetoque" exhibet liber ille omnium optimus; praebet igitur in fine: „insolidis solvit"; quod cum non intellexissent interpretes, maluerunt obscurum illud „insoli" e textu removere. Sed luce clarius est eos verum non attigisse; nam scribendum est: quam (sc. rupem) — — acetoque infuso *in solidam* sol(vit). —

Praeterea, sive meam probaveris coniecturam, sive lectionem vulgatam, fieri non potest, quin scribas: (dis)solv**erat**. Excisa enim rupe non opus erat flammis atque aceto. —

15, 12, 5 Hac regiones — — paullatim levi sudore sub imperium venere Romanum.

Haec verba quamquam ab editoribus cum ceteris, tum Valesio probata sunt, tamen mendo laborant gravissimo. — Eundemne haec scripsisse putabimus Ammianum qui (cf. 15, 12, 3) Gallos sua etiam aetate ad militandum gentem dicit aptissimam? Praeterea „levi sudore" discrepant ab eis quae proxime absunt (§ 5: paullatim — negotii plenus effectus — § 6 post decennalis belli mutuas clades). —

Liber praebet Vaticanus: „paulatim lev**is od**ore sub imperium ven**i**re Romanum"; atque leni quidem mutatione Lindenbrogius scripsit: „levius odere sub imperium venire Romanum"; quae cum et a logica et ab historica ratione gravissimas habeant offensiones, omni carent probabilitatis specie.

Diutius equidem verbum quaesivi quod et notionem haberet cogendi, et non nimis recederet a traditis litterarum

formis; quod cum non invenissem, hanc quaestionem viris doctis tradere malui integram; satis est demonstrasse locum nondum sanatum esse. —

15, 12, 6 In pervulgatis hodie exemplaribus Sallusti verba ita legimus restituta: — — „post decennalis belli mutuas clades subegit Caesar, societatique etc.“

In qua nescio cuius emendatione omnes acquieverunt editores. — In Vaticano libro nihil extat nisi: — — „mutuas clades sub . . . . [lacuna in fine versus quattuordecim litterarum] societatique etc.“ Sed felici contigit casu, ut Sallusti verba ad hanc nostram servata sint aetatem (cf. Frgm. Hist. I, 8 ed. Dietsch). „Res autem Romana plurumum inperio valuit, Ser. Sulpicio [et] M. Marcello consulibus, omni Gallia cis Rhenum atque inter mare nostrum et Oceanum, nisi qua [a] paludibus invia fuit, perdomita.“

Horum auxilio lacunam illam maximam explere adgrediamur. — Atque primum quidem voculam illam „sub . . .“ reliquias esse vides Sulpici nominis; ideoque recipiendum: Sulpicio, Marcello coss. Reliqua videntur recte ita restituta esse: — — „Caesar societati [sublata vocula „que“] nostrae foederibus iunxit aeternis.“

22, 8, 1—48.

22, 8, 3 — — Maronea ac Aenus, quas etc.“

Hanc quoque proferre libet mutatiunculam lenem. Codex praebet Vaticanus: Matronae ac tenus (suprascr. litt. a), quas litteras aliter distinguere propono: Matronaea et enus h. e. Maronea et Aenus. Locum conferas nostro simillimum 27, 4, 13 et Maronea et Aenus; ubi nulli discrepant codices.

22, 8, 5 — — et Apamiam, Ciumque, et Astacum sequuto tempore Nicomediam a rege cognominatam.

V: et Apamiam Chiumque *ubi krtam* secuto tempore etc.

Magnopere in hoc loco laboraverunt Petrus Pithoeus, Fr. Lindenbrogius, Hadr. Valesius, qui, quoniam in codicibus

legisse sibi visi sunt: „ubi Hylam“, hanc fere sententiam opinabantur restituendam esse: — — „ubi Hylam rapuit nympha“; cf. Dion. per. v. 807 et Sol. p. 190, 11. Attamen in codice omnium optimo non „ubi Hylam“ sed „ubi krtam“ scriptum extat; unde quod felicissima coniectura eruerat mecum communicavit V. C. Alfr. de Gutschmid: — — Ciumque *abiectam* secuto tempore, *et* Nicomediam a rege cognominatam. Quae mutandi ratio firmatur exemplis compluribus, quibus Ammianum vocabulo „abiectus“ usum esse demonstratur eodem fere sensu quo „ignobilis.“

cf. 23, 6, 5 ita regibus Parthicis, abiectis et ignobilibus antea, incrementa dignitatum — — accessere vel maxima. —

22, 8, 14 Dextram igitur inflexionem Bospori Thracii excipit Bithyniae latus etc.

Legendum est — — Bithyniae **litus**; et paulo postea § 44 non: per hoc Scythicum latus; sed: per hoc Scythicum litus erumpit in mare. —

22, 8, 14 per quae litora (sic V.) in sinus oblongos curvata Sangarius — — funduntur in maria.

Propontide enarrata per Thracium Bosporum ad ipsum Pontum venimus Euxinum, atque litora Bithyniae septentrionalia, quae in nullos curvari sinus oblongos satis constat. Atque eo procedat oratio, ut Ammianum dicamus nullos in tota Asiae ora septentrionali cognitos habuisse sinus oblongos; quoniam auctorem suum secutus (h. e. neque Hecataeum neque Ptolemaeum sed Eratosthenem, cf. § 10) totum Ponti Euxini ambitum arcui comparat Scythico, iamque pergit § 20: omnis ora maritima — — velut longitudine *lineali directa nervi* efficit speciem duabus arcus summitatibus complicati. —

Omnibus liberamur difficultatibus scribendo: „in sinus oblongos curvat**us** Sangarius“ — —

cf. § 27 (Tanais) — — „per sinuosos labitur circumflexus.“
24, 8, 3 et fluminis Galli sinuosos amfractus“ — —

Atque re vera Sangarium Maeandri modo, huc atque illuc verti, Ptolemaei (l. 5. c. 1.) verbis edocemur, ubi tres Sangari conversiones legimus commemoratas.

22, 8, 14 — — Sangarius, et Phyllis, et Bizes, et Rhebas fluvii. — —

Nunc ad ipsas nominum formas adgrediamur. Atque de primo quidem et ultimo dubitari nequit flumine; notissima enim sunt, saepiusque commemorata. Sed, quae in medio posita sunt nomina, corrupta esse apparet. In Vaticano enim libro legimus „Fullis et Bycus." Quodsi quem ordinem in fluminibus enumerandis servavit Ammianus, ab oriente ad occidentem procedit, non ab occidente ad orientem ut graecus ille periegeta, quem in reliquis sequebatur.

Etenim, quem primum nominavit, Sangarium in orientali Bithynia invenimus, Rhebam vero prope Bosporum Thracium; et quoniam inter Sangarium et Rhebam fluvius est nomine Psillis (Forbiger. A. Geogr. II p. 379) non est, cur hunc eundem esse negemus. Attamen in textum Ammiani inserere malumus „Fullis" h. e. „Phyllis"; cf. Steph. byz. s. v. **Φύλλις**: „*Ἔστι καὶ ποταμὸς Βιθυνίας Φύλλις.*"

Vetus igitur mendum (Φ pro Ψ) cave ne mutes. — Restat ut alteram tollamus corruptelam scribendo cum Valesio: „Lycus"; quamquam Lycum invenit a Bosporo proficiscens ultra Sangarium (Forb. A. Geogr. II p. 380). De fluviorum nominibus paullo postea (§§ 17 et 19) copiosius disputabitur. —

22, 8, 14 — — „quibus controversae extraneae sunt Symplegades."

Adnotat Valesius: „Legendum puto: Cyaneae sunt Symplegades. Graeci enim *κυανέας Συμπληγάδας* appellant coniunctim interdum; ut memini legere apud Euripidem." —

Locos illos euripideos legimus: Iph. taur. v. 241 et Med. v. 2. — Atque illud „extraneae", ut vere dicam, quod sentio, omnino sensu caret, quamquam Wagnerus defensoris munus sibi suscipiendum putavit; mihi quidem valde coniecturam suam probavit Valesius. —

22, 8, 16 Vulgata exemplaria prorsus insana habent; sed, ut videbimus, non insanabilia: insulaeque arduae, Trapezunta et Pityunta continentes oppida non obscura. — In Vaticano

extat codice: singulaeque [suprascr. insulaeque] arduae trepezunta et hpidunta continentis oppida non obscura. —

Multa quidem Ammianus in describendo Ponto peccavit; sed antequam eum damnamus, operam navabimus ut verborum sensum intellegamus, neque eum contendisse putabimus, et Trapezunta et aliam urbem, cuius nomen corruptum exhibet liber Vaticanus, in insula sitas esse, quod nemo unquam neque veterum neque recentiorum statuere ausus est. Sed postquam hunc Ammiano errorem obtruserunt editores, Wagnerus eum vituperavit in adnotatione: Haud recte Ammianus insulam vocat Trapezunta, quae tamen in continenti sita est, sed proxima mari; Mannert II 379." — Medelam, ni fallor, huic loco adferre licet inserta vocula „et" ante Trapezunta. — In reliquis emendandis magno mihi fuit adiumento scriptura illa „continentis" libri omnium optimi, quam falsissime editores mutaverunt in „continentes", quod accipi voluerunt pro „complexae". — Sed „insulae" et „continentis" invicem sese tueri apparet, quod omnes fugisse editores satis mirari non possum. Saepissime enim et apud Ammianum et apud optimae aetatis scriptores „continens" nihil est nisi terra firma:

Caes. de B. G. 5, 8 Labieno in continente relicto — — Corn. Nep. Milt. c. 7 procul in continente lucus — — — incensus est. —
Am. M. 14, 8, 14 Cyprum itidem insulam a continenti discretam.
Am. M. 22, 16, 11 insularum non continentis portorium flagitantes.

Iam transeamus ad alteram quaestionem, cuius tandem urbis nomen subesse ponamus corrupto illi „hpidunta", quod editores mutaverunt in „Pityunta", cf. Wagneri adnotationem: „Pityus vere insula, rectius Pityodes. Mannert III, 595". — Sed Pityodes illa insula non prope Trapezunta invenitur; sed prope Bithyniae litora (cf. Forb. A. Geogr. II p. 395). — A traditis litterarum formis non nimis recedit: Ophiunta. At quicunque Ptolemaei evolverunt libros atque inspexerunt hunc locum (Ptol. geogr. 5, 6)

Τραπεζοῦς
παρὰ δὲ τοὺς Κισσίους
Πιτυοῦς

has ipsas urbes ab Ammiano quoque coniunctas commemorari censebunt. — Ergo hoc modo Ammiani verba restituo: „insulaeque arduae *et* Trapezunta et Ophiunta continentis oppida non obscura.“ Pro „Pityunta“ Ophiunta recepi propter Wilbergi adnotationem p. 335:

„*Πιτυοῦς* ex Strab. XI p. 760 recepimus. *Πιτίουσα* A. B. D. E. Pal. 1. S. *Πιτίουσα* F. *Πιτυοῦσα* C. Bas. *Πιιοῦσα* M. *Ὀπιοῦς vulgo*, ortum ex *ὁ Πιτυους* Grash.“

Saepius enim Ammiani libri non cum optimis Ptolemaei codicibus congruunt, sed cum vulgata scriptura.

Atque in hisce nominativi (-unta) formis ex accusativis derivatis offendere noli, non enim hoc solo loco inveniuntur; qua de re v. Salmas. ad Treb. Poll. Gallien. c. 8. Arntzen. ad Paneg. X, 9, 4. Tzschuck. ad Eutr. IV, 23. Closs. ad Jord. c. V p. 25. —

22, 8, 17 Hoc loco munus mihi suscipiendum est, ut demonstrem Ammianum, vel potius eius auctorem ab oriente ad occidentem procedere (cf. §§ 14 et 29). — Ut Acherontem interim mittamus, Parthenium ultimo loco commemoratum in occidente h. e. Bithyniae et Paphlagoniae finibus invenimus, et ad orientem pergentes Irim et Arcadium*). Inter Irim et Parthenium Tibris fluvius commemoratur, ad quem illustrandum interpretes laudaverunt locum Procopii (l. V).

Ἔστι δὲ ποταμὸς ἐν Γαλάταις, ὅνπερ καλοῦσιν οἱ ἐπιχώριοι Τίβεριν.

Sed de illo Galatiae fluviolo nostro loco sermonem non fieri, vel ex eo apparet, quod Tiberis ille Galatiae non in mare influit sed in Sangarium (cf. Liv. 38, 18). — Auctor, quem sequitur Ammianus, nullas nominat urbes, nisi in maris litore

*) Hanc enim retinemus formam, quamquam Wilberg. ad Ptolem. 5, 6 adnotat: *Ἀρχάβιος* recepimus ex Arriani codicibus (peripl. p. 124); *Ἀρκαδίου* A. B. E. Pal. I.; Archadis S.; *Ἀρκάδιος* vulgo“. — Et Ptolemaei et Ammiani optimorum codicum auctoritate forma commendatur: Arcadius. —

sitas, nulla flumina, nisi quae in mare effunduntur. — Quae cum ita sint, litteras illas eiciendas censeo, quippe quas dittographiam esse censeam antecedentis: „et iris". —

Iam ad primum redeamus nomen sc. Acherontis (V: fluvii divesae cheron tidemque Arcadius" etc.). Duas res, quae toto caelo distant, paullo antea Ammianum confudisse apertum est, nimirum Acherusium specus in Bithyniae finibus (cf. Apollon. rh. 2, 730; Mela ed. P. p. 28, 16. Plin. n. h. 6, 4 etc.) et *μυχοπόντιον* h. e. Ponti Euxini recessum orientalem (cf. Eratosth. fr. XXVIII p. 44 ed. Bernh. Strabo p. 125 C., Dionys. per. v. 687 etc.).

Plin. n. h. 6, 4	Sol. p. 191. 4 (ed. M.)	Am. M. 22, 8, 17
oppidumque Heraclea — —	in quo oppidum Heraclea — —	in quibus Heraclea — —
2. specus Acherusia — —	2. proximus inde Acherusius specus	Ultra haec loca Acherusium specus, quod accolae *μυχοπόντιον* adpellant;
1. portus Aconae	1. et Acone portus	et portus Acone.

Vides igitur Ammianum *μυχοπόντιον* in fonte suo latino h. e. chorographia Pliniana non invenisse. Praeterea Acherontem fluvium secus ac reliqua flumina enumerata ad eundem revocandum esse auctorem apparet atque Acherusium specus. Iamque Ammiano, quae utrique desumpsit auctori, contaminanda erant, ideoque scribendum: — — Acheron idemque Arcadius et Iris et iuxta Parthenius — —

22, 8, 17 — — omnes in mare ictu rapido decurrentes.

Wakefield. ad Lucret. III, 193 malebat: actu rapido in mare decurrentes. „Actus" vero nusquam hac notione, „ictus" saepius apud Ammianum invenitur:

31, 4, 5 contra ictus aquarum nitentes,
23, 4, 15 ictu enim rapidiore extinguuntur (sc. malleoli). — 18, 8, 12 et 21, 9, 4 eodem ictu etc.

22, 8, 20 Finem paragraphi vigesimae ita ediderunt viri docti: „(ora Asiae borealis) nervi efficit speciem duabus arcus summitatibus complicati", cum in Vaticano legatur codice: — — „duabus arcus summitatibus conpligati", a quibus lit-

teris proxime abest non solum „complicati" sed etiam „conligati". — Totius igitur quaestionis cardo vertitur in re grammatica, utrum melius dicatur: „nervum arcui complicare" an „conligare". — Atque cum „complicare" nostrum sit „zusammenfalten", „conligare", quod est „zusammenbinden", praeferre non dubitamus. — Nec desunt exempla:

17, 4, 15 innectuntur vasti funes et longi — — quibus conligatus etc.,
26, 8, 8 quae — — erat altrinsecus conligata,
17, 11, 4 (Pompeius) fasciola candida crus conligabat.

Similiter „inligare": 15, 10, 4; 19, 8, 7; 22, 9, 8 etc.

22, 8, 23 „ad eos tractus Liber versus". In libro Vaticano legimus: „Lib**err**e**v**ersus" h. e. „Liber **re**versus" ut paullo postea „**re**paravit". — Neque video, cur hanc optimi codicis scripturam adspernemur, quam Lindenbrogius textui inseruit.

22, 8, 29 — — Maraccus et Rhombites, et Theophanes et Totordanes.

Haec nomina sanamus collato Ptolemaei loco

Ptol. V, 8 (p. 345 ed. W.)	Am. M. 22, 8, 29
Μετὰ τὰς τοῦ Ταναΐδος ἐκβ.	Ultra Tanain — —
— — *Μαρουβίου ποταμοῦ ἐκβ.*	Maraccus (Vat.)
— — *Ῥομβίτου Μεγάλου ποταμοῦ ἐκβ.*	Rombitis (Vat.)
— — *Θεοφαντίου ποταμοῦ ἐκβ.*	Theofanes (Vat,)
— — *Οὐαρδάνου ποταμοῦ ἐκβ.*	Totordanes (Vat.)

Ideoque scribo: „Mara**b**ius [***Μαραβίου*** vulgo; Pt.] et Rombit**us** et Theo**ph**anius et Totordanes"; ultimum enim nomen mutare nolo, cum hanc corruptelam ortam esse censeam Ammiani, non librariorum culpa. —

22, 8, 34 Diis enim hostiis litantes etc.

Vat.: **deos** enim hostiis propaciantes. — Vocabulum illud „propaciantes" suprascriptum est eadem manu; sed utrum „litantes" prorsus desit necne, in schedis meis enotatum non inveni. Sed, utut est, vel propter antecedentem accusativum (**deos**) praeferenda videtur scriptura „propaciantes" h. e. „propitiantes"; quamquam locus extat nostro simillimus:

27, 4, 4 hostiis captivorum Bellonae litantes et Marti.

Sed ne hoc quidem vulgata defenditur lectio. — Eodem enim vocabulo de eadem re alii quoque utuntur rerum scriptores, ut Jul. Flor. I, 39 (ed. O. Jahn.): *litare* dis sanguine humano, et S. Ruf. c. 9 (ed. Havercamp.): quod hostiis captivorum dis suis aliquando *litaverint*. Unde concludere licet, Ammianum hoc verbum non de suo deprompsisse, sed invenisse apud auctorem suum. Vocabulo autem propitiandi eis quoque locis utitur, quibus nullum sequitur fontem:

19, 12, 12 propitiandi causa numinis — —
16, 12, 15 aderatque propitiati numinis arbitrium clemens.
31, 2, 11 itidemque propitientur, nemine leniente.

22, 8, 43 Cum autem ad alium portuosum ambitum fuerit ventum etc.

Arcus cum ex duobus constet cornibus, quibus ambitum utrumque comparavit Ammianus, proponam: cum ad *alterum* portuosum ambitum fuerit ventum.

22, 8, 43 — — quam circumcolunt Troglodytae et Peuci.

Libri Vaticani forma „Trogodytae" retinenda est, cum Plinii quoque codicibus, qui quidem optimae notae sunt, defendatur (Plin. n. h. 4, 80 ed. Detlefs.). — Alterius autem nominis formae addenda videtur syllaba „ni", quae propter sequens „minores" facile excidere potuit; de Peucinis v. Forbig. A. Geogr. III p. 1091. —

22, 8, 44 — — septimum (sc. Danubii ostium) ingens et palustri (V: paulustri) specie nigrum.

Liber Vaticanus non „ingens" sed „genus" praebet, quod sensu carere primo cognoscitur adspectu; nec quisquam editorum recepit in textum, sed omnes scripserunt „ingens", quod per se negari nequit non nimis recedere a traditis litterarum formis. Sed minus in sensum quadrat; neque enim usquam traditur hoc septimum Danubii ostium prae ceteris praevalere magnitudine, quod tamen coniciendum est, si hoc unum ingens dicitur, omisso tali epitheto in ceteris describendis ostiis. — Immo prorsus contrarium ex Ammiani verbis elici potest; nam omnibus Danubii ostiis nomina imposita sunt, excepto eo, quod ultimum tenet locum; quibus cum nautae illi haec inde-

rent nomina, „maximum“ illud septimum, neglegere non debebant, quod ne reliqui quidem rerum scriptores atque geographi (cf. Forb. A. Geogr. III p. 324—27) unquam putandi sunt omisisse. Accedit, quod Ammianus ipse septimum ostium, quod stagnum fieri („palustri specie“) dicit, non ingens perhibere potest. —

Neque minus errant, si qui in verbo „genus“ septimum nomen quaerendum censeant. Ammianus enim et Solinus (p. 90, 10 ed. M.) hoc loco eundem secuti sunt auctorem (cf. Mommsen. in praefation. Sol. p. XXVII) qui nulla alia commotus est causa, cum sic scriberet, quam ut Nili ostiorum (Amm. M. 22, 15, 10) adaequaret numerum. — Nilus enim et Danubius a veteribus rerum scriptoribus saepe inter se comparantur. Ammiani Solinique auctor h. e. chorographus Plinianus, cum in fonte suo septimum nomen non inveniret, ipse illud excogitare nec potuit nec voluit. — Locum nostrum egregie corruptum sanare mihi videor transpositis litteris, si pro „genus“ scribimus: segnu h. e. aut segne aut segnius.

Similia Vaticani codicis menda plurima in promptu habeo, e quibus haec eligere libet:

22, 9, 5 spitionem = Scipionem; 22, 9, 9 expestur = expertus; 22, 8, 10 munitissimi = minutissimi; 21, 15, 14 pisturnicia = spinturnicia; 31, 28 paritad = rapiditate etc.

Ammianum autem vocabulum illud ita adhibere ex hisce apparet locis:

15, 11, 15 (Rhodanus) — — altrinsecus summitates undae praeterlabens segnioris quaeritans exitus.

15, 14, 1 Rhenus undarum quietem permeans pigrum.

Iam eis, quae hoc modo assecuti sumus, fidem addamus ex rebus externis petitam, et quod proposuimus ab omni defendamus dubitatione, adscripto Solini loco:

Sol. p. 90, 10 (ed. M.).	Am. M. 22, 8, 44.
Hister Germanicis iugis oritur, effusus monte, qui Rauracos Galliae aspectat. sexaginta amnes in se recipit ferme omnes navigabiles.	Amnis vero Danubius oriens prope Rauracos montes, confines limitibus Raeticis — — ac sexaginta navigabiles paene recipiens fluvios,

Sol. p. 90, 10 (ed. M.).	Am. M. 22, 8, 44.
septem ostiis Pontum influit, quorum primum Peuce,	septem ostiis — — erumpit in mare. Quorum primum est Peuce — —
secundum Naracustoma,	secundum Naracustoma,
tertium Calonstoma,	tertium Calonstoma,
quartum Pseudostoma;	quartum Pseudostoma:
nam Borionstoma,	nam Boreonstoma,
ac deinde Spilonstoma languidiora sunt ceteris,	ac deinde Sthenostoma longe minora sunt ceteris (sic V.),
septimum vero *) pigrum ac palustri specie non habet, quod amni comparetur.	septimum ingens (?) et palustri specie nigrum. —

Unde sequi apparet:

1. Verum adsecutos esse Salmasium (Exerc. Plin. p. 131) Valesiumque, qui scribi iusserunt: — — prope Rauracos monte confine limitibus Raeticis.

2. inter „navigabiles“ et „paene“ inserendum esse „omnes“ quod et a logica commendatur ratione, et firmatur Solini testimonio. —

3. pro „Boreonstoma“ scribendum esse: Borionstoma (sic Vat.) —

4. non „Sthenostoma“ sed „Stenostoma“ (sic Vat.).

5. neque: „longe minora“ sed „languidiora“.

6. pro „genus“ „segnius“ restituendum esse.

Sed cave, ne fines excedas mutandi, neve componas Ammiani illud „nigrum“ cum soliniano „pigrum“.

In Ammiani enim verbis tautologia evaderet, quae ferri nequit; et apud Solinum vocabulum „pigrum“ tuentur codices Dicuili (6, 8 ed. Letron.), qui hunc locum integrum praebent exscriptum ex libris solinianis. —

22, 8, 45 Initium § 45 propter magnam illam Ammiani neglegentiam mutare non audeo: „Quorum (sc. *ostiorum*) primum est Peuce *insula*“ etc.

22, 8, 47 nihil enim in Ponto huiusmodi aliquando est visum, praeter innoxios delphinas et parvos.

*) om. L. G. Fort. rectius.

Vox illa „parvos“ non nimis congruere videtur cum eis, quae antecedunt: voracium belluarum. In adnotatione Wagneriana legimus: „Ms.: pavos“ atque idem (suprascr. litt. r.) in Vaticano legitur codice. Quamobrem mutatione satis leni scriberemus: „paucos“, nisi locus quidam extaret plinianus (n. h. 8, 50): sed in Pontum nulla intrat bestia piscibus malefica praeter vitulos et *parvos* delphinas.

22, 14, 7—22, 16, 24.

In hoc Ammiani excessu emendando magnum nobis feret auxilium Solinus Mommseni opera editus viri sagacissimi. —

22, 15, 2 Aegyptum finibus circumscripsit falsis Ammianus; veri enim sunt:

Merid.: Elephantine et Meroë
Or. : Mare Rubrum
Sept. : Issiacum Mare
Occ. : Syrtes maiores.

Vides fines ammianeos per se quidem veros esse, sed eorum situm et ordinem ab imperitis hominibus mutatum esse, qui occidentalem terminum in meridiem transtulerunt; quo factum est, ut etiam reliqui inter se commiscerentur. Neque tamen quidquam in Ammiani verbis mutari licet, quippe cui accidat idem in describenda Gallia 15, 10, 2:

Merid.: Mare Tyrrhenum et Gallicum
Or. : Rhenus et Alpes Cottiae
Sept. : Oceanus
Occ. : Oceanus et Pyrenaei montes.

Similiter in Perside describenda a vero aberravit, cuius hosce constat fuisse fines:

Sept. : Cadusii (cf. 23, 6, 13)
Occ. : Armenia, Niphate, Mesopotamia
Merid.: Mare Rubrum (h. e. Erythraeum)
Or. : Ganges (?).

Ipsius igitur Ammiani culpa ordinem turbatum esse apparet; qui cum apud auctorem suum nihil inveniret, nisi terminos enumeratos, ipse addidit caeli regiones, qua re omnia pessumdedit. Atque hunc quidem auctorem multis ante Ammianum saeculis floruisse, vel inde sequitur, quod his sub regibus tantum utebantur finibus *) Aegyptii.

22, 15, 10 Phatniticus, Mendesius etc.

V: **Pathmiticus** h. e. Pathmeticus, quae forma Ptolemaei defenditur libris, cum optimi Melae (ed. Parth. p. 18, 19 et p. 111) codices scripturam tueantur „Pathameticum". Ideoque Ammiano formam „Pathmeticus" reddendam esse censeo. —

22, 15, 13 Et, si inciderit moderatius (V. moueratius), aliquoties (V. aliquontiens) iactae sementes in loco (V. loquore) pinguis caespitis etc.

Vocabulum illud „loco", quod coniectura nescio cuius insertum est, quoniam non solum supervacaneum est, sed friget vehementer, vereor, ne in errore versentur editores. — Attamen quicunque haec verba „in loco pinguis caespitis" receperunt, eis cum subsequenti „renascuntur" illa coniungenda sunt. Tum vero „iactae" non habet, quo referatur, sed scribendum esset: „factae". — At vix dubium falsa via ingressos esse viros doctos, praeter unum Stephanum, qui in textum suum recepit, quod etiam nunc legitur in codice Vaticano: „loquore" h. e. „liquorem". — Etenim post Nili inundationem omnis Aegyptus fluminis tegitur caeno; in quem Nili pinguem limum Aegyptii sementem et antea iaciebant et hodie iaciunt. Atque hoc insolentius dictum esse et exemplis firmari non posse libenter concedo. Tamen similia inveniuntur. Nam liquoris vocem adhibitam de humore quoque crassiore hisce legimus locis.

Am. M. 23, 6, 16 Hic et naphta gignitur picea specie *glutinosa* — — Et cum hoc *liquoris* ardere coeperit genus — —

et § 38 (naphtha similis oleo crassiori Solin. p. 201, 9 ed. M.) denique nisi *caenosior* liquor fuerit ipsi adsidua proculcatione limum excitant.

---

*) eidem Aegypti fines: 22, 16, 1—6 et 22, 16, 24.

De caespitis usu

cf. 23, 6, 48 caespitisque ubere iuxta fecunda. 20, 11, 9 regiones pinguissimi caespitis: — 31, 3, 6 (Thracia) caespitis est feracissimi. — 14, 8, 3 c. Punicum. — 27, 4, 6 c. Romanum.

22, 15, 15 (quadrupes malum h. e. crocodilus) maxillam superiorem commovens solam —

Omnia animalia unam tantum commovere maxillam constat. Sed crocodilum non, ut reliqua, inferiorem, sed superiorem movere Ammianus contendit. — Ideoque scribere malo: — — commovens solum; collato loco Aristotelio (de anim. I, 2) *Κινεῖ δὲ πάντα τὰ ζῶα τὴν κάτωθεν γένυν πλὴν τοῦ ποταμίου κροκοδείλου· οὗτος γὰρ τὴν ἄνω μόνον.* cf. Herod. 2, 68.

22, 15, 16 ad cubitorum enim longitudinem decem interdum extentus.

Reliquorum varias auctorum sententias Wagnerus in adnotatione collegit. Atque vulgatam falsam esse lectionem ex ipsis vides Vaticani libri vestigiis (V: ecb[d]ecem). Quae cum ita sint, comparato loco pliniano (n. h. 8, 25): (crocodilus) „magnitudine excedit plerumque duodeviginti," scribendum esse censeo: ad cubitorum enim longitudinem octodecim interdum extentus.

22, 15, 17 — — quibus sacerdotes Memphi natales celebrant Apis:

Adnotavit Lindenbrogius: Ms. Flor. et Stephan.: Natales celebrant Nili. Sed vulgatam lectionem tuentur Solinus et Plinius n. h. 8, 46. Attamen, cum ceteris codicibus adstipuletur Vaticanus, mente omnino non adsequor, quomodo mendum illud „Nili" in textum irrepserit; quod nunquam, ut librariorum tribuamus culpae, adducemur. Sed postquam Mommsenus neque Solinum ex Ammiano neque Ammianum ex Solini libris descripsisse monstravit, sed utrumque ex chorographia Pliniana, optimam illam codicis Vaticani scripturam in textum reponere non dubitamus. Etenim non solum Apis sed etiam Nilus tamquam imagines colebantur dei, cuius solennia Memphi celebrabant sacerdotes; cf. Brugsch: Materiaux pour servir à la reconstruction du calendrier des anciens Egyptiens p. 39, 18. —

Quam si probaveris ratiocinationem, alio quoque loco (22, 15, 11) Vaticani libri retinebis scripturam: „aegere *tertio* die“ neglectis Plinii Solinique testimoniis:

Plin. n. h. 5, 53 ut tamen dierum *V* cursu, non breviore travolet.
Solin. p. 156, 13 ut vix eas dierum *quinque* cursu praetermeet.

22, 15, 18 alii (crocodili) dirumpuntur suffossis alvis mollibus certis ferarum dorsualibus cristis.

„Certae ferarum cristae“? quid sibi volunt haec verba quae nullam fere sensum praebent? Lenis praesto est mutatiuncula qua locum sanamus. — Restant enim in codice nostro vestigia veri: „**certis**“ quae si contuleris cum Solini verbis (p. 160, 17) — — „quorum dorsa serratas habent cristas“, libenter concedes Ammiani verba ita esse restituenda: suffossis alvis mollibus **serratis** ferrarum dorsualibus cristis.

Salmasius mihi quidem coniecturam suam „alv**i** mollibus“ h. e. „tenera ventrium“ Sol. p. 160, 20 non probavit; implicatius enim hoc dictum est, quam quod intellegi possit. —

22, 15, 23 et carnes saucias caeno oblinit.

In Vaticano libro quoniam legimus: „et **pares** saucias“ restituere malo: „et **partes** saucias“. — Solini enim verba*) nullius ad hanc quaestionem expediendam momenti esse apertum est.

22, 15, 28 — — altitudinem, quae humanis confici potest.

Haec ferri non posse nemo non videt atque Solini comparatis verbis (p. 165, 6: ultra amnem, quae fieri manu possit) facile demonstrabitur in corrupto illo „humanis“ mendum latere; iam quaeritur, utrum deleta syllaba „hu“ scribamus: „manis“ h. e. „manu“, ut voluerunt Salmasius et Reinesius, an vocem „manu“ post „hum**ana**“ excidisse putemus. Atque in huius sententiae partes ire praetulit Lindenbrogius, collatis exemplis nonnullis, quae ex ipsius Ammiani Vegetique libris collegerat; quibus propositam mihi probavit scripturam.

---

*) Sol. p. 162, 17 plagam deinde caeno oblinit usquedum vulnus conducatur in cicatricem.

22, 15, 30 et excisis parietibus volucrum ferarumque genera multa sculpserunt et animalium species innumeras, quas etc.

V: — — et animalium species innumeras multas quas etc.

Quid interest, quaeso, inter volucrum ferarumque genera multa et animalium species innumeras? Qua tautologia omnes editores Ammiani textum depravari passi sunt. Ne glossema quidem verba illa putanda sunt; quam qui sententiam probant, eis non solum glossema statuendum est, sed etiam glossema glossematis (innumeras = multas). Quorum opinionem vel ideo reiciendam censeo, cum persuasissimum mihi habeam, in Ammiani libris glossemata aut omnino nusquam aut rarissime invenire. —

Quo tandem confugimus? Ad alium ipsius Ammiani locum. Saepissime enim eandem rem aut bis aut ter legimus enarratam, quod cum tanti momenti sit in arte critica factitanda, locos nonnullos adscribam a me collectos.

14, 8, 5 = 23, 6, 2 cf. 23, 6, 8 (Nicator Seleucus); 14, 11, 31 = 26, 6, 20 (Andriscus); 16, 12, 43 = 26, 7, 17 = 31, 7, 11 (barritus); 22, 8, 12 = 28, 1, 4 (Miletus); 22, 8, 5 = 22, 16, 22 (Miletus); 23, 4, 10 = 24, 2, 18 (Helepolis); 23, 5, 16 = 31, 2, 12 (Massagetae); 23, 6, 13 = 22, 15, 2 (Saraceni) 23, 6, 21 = 22, 15, 8 (Aegyptus) = 23, 6, 72 (India) = 14, 8, 8 (Commagene); 23, 6, 44 = 31, 2, 22 (Parthi et Alani); 24, 2, 7 = 24, 6, 1 (Naharmalcha); 25, 3, 13 = 27, 10, 16 (Sicinius et Sergius); 27, 4, 10 = 18, 6, 5 (Hebrus); 27, 4, 12 = 22, 2, 2 = 26, 10, 4 (Philippopolis — Eumolpias); 27, 4, 12 = 14, 11, 15 (Hadrianopolis — Uscudama); 27, 4, 12 = 22, 2, 3 = 22, 8, 5 (Heraclea — Perinthus); 27, 4, 13 = 22, 8, 3 (Maronea et Aenus); 31, 2, 10 = 31, 2, 18 = 14, 4, 4—5 (nomades); 31, 2, 13 = 22, 8, 27 (Tanais);

quibus nostrum addam locum 22, 15, 30 = 17, 4, 8—9.

Am. M. 17, 4, 9.	Am. M. 22, 15, 30
2. ad aevi quoque sequentis aetates — — perveniret memoria	metuentesque, ne caerimoniarum oblitteraretur memoria — —
1. volucrum enim ferarumque etiam alieni mundi, genera multa sculpentes	volucrum ferarumque genera multa sculpserunt, et animalium species innumeras
§ 8 Formarum autem innumeras notas, hieroglyphicas adpellatas — — —	quas hierographicas litteras adpellarunt.

Habes igitur in eo, quem comparavimus loco, pro corruptis illis verbis, quae nobis offensioni erant quam gravissimae, prorsus alia. — Sic iam non metuendum est, ne temeritatis mereamur crimen, si librariorum illud mendum tollere adgrediamur nostrumque locum instituamus ad alterius exemplum conformare. Vocem illam „animalium" in duas dividamus partes; „— alium" nihil est nisi „alius" vel potius „alieni" (= „alieni" 17, 4, 9); „etanim" = „etiam" et „multas" = „mundi". Vaticanum librum qui exaravit cum 14, 8, 1 „multas" scriberet pro „minutas", etiam hoc loco in eundem incidere potuit errorem pro „mundi" scribendo „multas". —

Ut breviter comprehendam, hanc propono lectionem: et excisis parietibus volucrum ferarumque genera multa sculpserunt, *etiam alieni* species innumeras *mundi*, quas etc. — Quae si minus tibi placent, partesque enuntiati artius tibi coniungendae videntur, scribas: „**et** alieni species innumeras mundi, quas etc. In collocatione autem verborum (alius — mundi) ne quis offendat, similia adscribam exempla.

23, 6, 2 cum apud Babylona Magnum fata rapuissent Alexandrum.
23, 6, 16 et cum hoc liquoris ardere coeperit genus.
23, 6, 24 insanabilium vi concepta morborum.

22, 15, 13 eumque nemo aliquando extolli cubitis altius XVI possessor optavit.

Hoc loco Vaticani restituo scripturam: possessor**um**; quamquam duae litterae ultimae lineolis perductis sublatae sunt. —

22, 16, 7 (Dinocrates) qui [cum ampla moenia fundaret et pulcra, paenuria calcis ad momentum parum repertae] omnes ambitus lineales farina respersit.

V: qui **cum ammo**mentum [non „ammo**nu**mentum" quod legit Valesius] parum repe**nte** omnes ambitus lin**i**ales etc.

Quae in medio interposuit Gelenius: — — „pla moenia fundaret et pulcra paenuria calcis ad" omni carent codicum auctoritate; neque quidquam potest cogitari audacius. Reiecta igitur hac interpolatione, quid faciendum? Idem faustum in Alexandria condenda auspicium cum non semel legatur apud

rerum scriptores (cf. locos quos collegit Lindenbrogius), cumque γῆν λευκήν Strabo, cretam Valerius Maximus Dinocrati defuisse tradat, pristinum huius loci statum hunc fuisse conicio: (Dinocrates) qui, *creta ad* momentum parum re**perta**, omnes ambitus lineales farina respersit.

„Ad momentum“ sic legitur 25, 2, 4: Et quamquam ad momentum haesit stupore defixus etc. —

22, 16, 12 Hoc potissimum loco fulti demonstrasse sibi videntur viri docti, Ammianum librum conscripsisse ante annum p. Chr. n. 391, quo anno Serapeum incendio dirutum est. — Sed ad hanc quaestionem instituendam prorsus nullius momenti sunt digressiones geographicae, quippe quibus saepissime non sua Ammianus Marcellinus, sed auctorum tempora respiciat; quo factum est ut populos (cf. 22, 8, 14 Bebryces) enumeratos inveniamus, quos Eratosthenes ut sua iam aetate commemorat interemptos; cf. Plin. n. h. 5, 33.

22, 16, 18 — — si Alexandriae se dixerit eruditum.

V: — — Alexandriae **si** dixerit eruditum (omisso pronomine „se“). Quae cum praestet verborum collocatio, voculam illam „se“ ante „dixerit“ inserendam censeo, quae post „si“ facillime excidere potuit: „Alexandriae **si se** dixerit eruditum.“

22, 16, 22 ex his fontibus per sublimia gradiens sermonum amplitudine Iovis aemulus Platon visa Aegypto, militavit sapientia gloriosa.

Largiamur, Anaxagoram talem hausisse scientiam ex Aegyptiorum sacerdotum usu atque consuetudine, ut lapidum lapsum terraeque tremores futuros praedixerit; largiamur, Solonem eorundem sententiis adiutum leges suas scripsisse; Platonem, ab *Aegyptiorum* sacerdotibus suavitatem didicisse orationis *graecae* — neque aliam ob causam Iovis aemulus dicitur — omni caret probabilitate.

Accedit aliud; vulgata, quam Valesius constituit, scriptura recepta, tautologiam (ex his fontibus = visa Aegypto) Ammiani verbis intulerunt editores neglecta codicum auctoritate.

Namque Vaticanus liber exhibet: — — „Iovis **e**mulus *non* visa Aegypto“ quae quin reponenda sint vix dubitari potest; etiamsi nomen huius „aemuli“ inserere non potuissemus. At ne nomen quidem latuit virum sagacissimum A. de Gutschmid, qui post HIS iterandum esse vidit IHS h. e. Ihesus. Etenim cum constet inter viros doctos, Ammianum Marcellinum cultum amplexum fuisse veterum deorum, tamen, qua erat animi aequitate, nolebat Christum Christianosque contumeliis insectari. Praeterea, cum, Theodosio Imperatore, Ammianus libros conscriberet, non est cur eum miremur Christum quoque in deorum numerum rettulisse. Quare scribendum esse censuit vir clarissimus: Ex his *Ihesus* fontibus — — *non* visa Aegypto, militavit sapientia gloriosa. —

Neque impedimento est, quod Matthaeus Iesum infantem in Aegyptum profectum esse memoriae tradit; hoc enim ignorabat homo paganus et philosophus.

23, 6.

23, 6, 2 Luculento quodam exemplo monstrare libet in Ammiano emendando artis criticae exercendae remedia aliter adhibenda esse, aliter in scriptoribus optimae aetatis; in quibus si legerentur §§ 7—8 post §§ 2—6, nemo fere transponendas non censeret, ut post „unius iura translatam“ (§ 8) legeremus: „cum apud Babylona Magnum fata rapuissent Alexandrum“. Sed in Ammiani libris tales transpositiones omnino locum non habent neque inde quidquam evinci potest nisi duos eum sequi auctores. —

23, 6, 8 ut bella praetereamus Alexandri, et testamento etc.

V: — — Alexandri **nae** testamento etc.; quamobrem nescio, an scribendum sit: ut bella praetereamus Alexandr**ina et** testamento etc. Paulo antea 22, 16, 13 legebamus: „bello alexandr**ina**“ quod adiectivum hoc quidem loco ex Alexandriae urbis nomine formatum esse apparet, sed eandem formam ab

Alexandri regis nomine derivari, multis edocemur locis Scriptorum Historiae Augustae (cf. indicem).

23, 6, 10 — — promuntorium, quod adpellant incolae Maces.

Hunc locum Valesius comparata Strabonis p. 765 scribi iussit: „quod appellant incolae *ἐν Μάκαις*", quam coniecturam mihi non probavit vir doctissimus. Ammianus enim apud auctorem suum, nimirum Eratosthenem, nomen promuntorii invenit nullum (Strab. p. 765 *τῆς Ἀραβίας ἀφορᾶται τὸ ἐν Μάκαις*). — Vides igitur incolas illos h. e. Macas — quam gentem in hac Arabiae parte sedem habuisse constat — promuntorium non nominavisse *τὸ ἐν Μάκαις*. — Etenim si apud Ammianum invenimus: „quod incolae adpellant" e. q. s. s., haec semper multo fortius dicta sunt, quam simplex adpellari.

15, 4, 3 quem Brigantiam accola Rhaetus adpellat,
15, 12, 3 quos localiter murcos adpellant.
15, 11, 16 — Ararim, quem Sauconnam adpellant.
22, 8, 17 quod accolae *μυχοπόντιον* adpellant.
22, 8, 34 Diana, quae apud eos dicitur Oreiloche.
22, 8, 41 littus Achilleos dromon [scr. *Ἀχιλλέως δρόμον*] vocant indigenae.
29, 5, 5 littus, quod adpellant accolae Igilgitanum.

Ammianum sensum verborum Eratosthenis non prorsus intellexisse arbitratus vulgatam retineo lectionem: quod incolae adpellant Maces.

23, 6, 12 Ergo permeatis angustiis antedictis venitur ad Armeniae sinum.

Sic in omnibus codicibus legitur omnibusque editionibus: sed ubi tandem invenimus Armeniae illum sinum? Omnes fugit editores neque Maiorem neque Minorem Armeniam sitas esse in maris sinu. Praeterea hoc loco propter eum, quem in describendis littoribus ordinem servavit Ammianus desideratur nomen maris inter Persicum et Indicum sinum siti. — Itaque inserere non dubitamus in textum: „**Carmaniae** sinum". Eodem modo in Carmania describenda § 49 pro „Carmana" codex noster exhibet „armana". De Carmaniae sinu cf. Forb. A. Geogr. II p. 6. 11.

Iam ad singularum Persiae provinciarum accedamus descriptionem. De fontibus pauca praemittere sufficiet. Sequitur enim Ammianus 23, 6 eundem auctorem latinum quem 14, 8 exscripserat, qui provinciarum speciem atque indolem universam describit certo adhibito ordine et, ut ita dicam, schemate; nomina vero in Persarum saltem regionibus describendis ex Ptolemaei desumpsit geographia quae propterea confidentissime emendare licebit. —

Ptolem. geogr. 6, 1	Am. Marc. 23, 6, 22	coniect.
Νῖνος	Ninus	
Ἐκβάτανα (6, 2 in Media sit.)	Ecbatana	
Ἄρβηλα	Arbela	
Γαυγάμηλα	Gaugamela	
Ἀπάμεια (5, 19 in Babyl. sit.)	Apamia	
Τερηδών („ „ „ „)	Teredon	
Ἀπολλωνία	Apollonia	
Οὐολγαισία (5, 19 in Babyl. sit.)	Vologessia (Vat.)	Volgaesia
Βαβυλών („ „ „ „)	Babylon	
Κτησιφῶν	Ctesiphon	
Νααρσάρης (Babyloniae fl. 5, 19) p. 382 l. 23. *Νααρσάρης* Ritter. Geogr. X p. 45. *Μααρσάρης* Codd. C. S. Bas. Maarsag *Μαάρσαγ* M. *Βααρσάρης* vulgo.	Marses (Vat.)	Maarsares
*Βασίλειος ποταμός**) (5,19 eiecit Wilb.)	Flumen Regium	
Εὐφράτης	Euphrates	
Σουσιανῆς θέσις (6, 3)	*Susiani* (§ 26)	
Σοῦσα	Susa	
Ταρειάνα B. E. Pal. I; *Ἀρειάνα* M.	Arsiana (V.)	Ariana
Σέλη	Sele	
Ἄρακκα *Ἄρακα* M.	Aracha (V.)	Araca
Ὀροάτιος ποτ. ἐκβ.	Oraotes	
Χάραξ Πασινοῦ (non fl. sed urbs)	Harax (V.)	Charax
Μωσαίου ποτ. ἐκβ.	Meseus (V.)	Mosaeus

*) Perperam Wilberg p. 382 l. 22: *ὅ τε διὰ Βαβυλῶνος ῥ. ποτ. καὶ ὁ καλ.* ex coni. Grash. *ὅ τε Βασίλειος ποτ. καὶ ὁ καλ.* Bas. et graec. cod. in inferiore eius marg. adscr. *ὅτε Βασ. ποτ. καὶ ὁ διὰ τ. Βαβυλωνίας ῥέων καλ.* Codd. M. S. Intp. *ὅ τε Βασ. ποτ. κ. ὁ. δ. τ. Βαβυλῶνος ῥ. καὶ ὁ καλ.* vulgo. —

Ptolem.	Am. M.	coniect.
Μηδίας θέσις (6, 2)	*Media* (§ 27)	
Ζάγρος	Zacram (V)	Zagrum
Ὀρόντης	Orontem	
Ἰασόνιον	Iasonium	
Κορώνου	Coroni	
— — — (de Zombi et Gazaca cf. Steph. b.)	Zombis	
Τιγράνα (?)	Patigran	Tigrana (?)
Ζαζάκα B. D. E. Pal. I; *Γάζακα* vulgo	Gazaca (cf. Detlefs ad Pl. 6, 43)	
Ἡράκλεια	Heraclia	
Ἀρσακία	Arsacia	
Εὔρωπος	Europus	
Κυρόπολις	Cyropolis	
Ἐκβάτανα	Ecbatana (cf. § 21)	
— — —	Choaspes (V.: Cohaspes)	
— — —	Cyndes (V.: Cindes)	
Ἀμάρδου ποταμοῦ ἐκβ.	Amardus	
Χαρίνδα ,, ,,	Charinda	
Καμβύσου ,, ,,	Cambyses	
Κύρου ,, ,,	Cyrus	
Περσίδος θέσις (6, 4)	*Persis* (§ 41)	
Βατραχάρτα? urbs Babyl.	Batradites. Fort.: Batrachites = flumen ranarum	
Ῥογομάνιος ποταμοῦ ἐκβ.	Rogomanius (V.)	
Βρισοάνα ,, ,,	Brisoana	
Βαγράδα ,, ,,	Bagrada	
Περσεπόλις	Persepolis	
Ἄρδεα	Ardea	
Ὀροάτις Grash. *Ὀβροάτις* vulgo	Habraatis (V.)	Hobroatis
Τραγονίκη	Tragonice	
Ταβιάνα	Cadianas (V.)	Tabiana
Σῶφθα [*Φάργα* in Arab. s. 5, 8 ?]	Fara	
Ἀλεξάνδρου	Alexandria	
Παρθίας θέσις (6, 5)	*Parthi* (§ 43)	
(*Παρχοάθρης*) Solin. p. 182[12] Choatras	Choadres (V.)	Choatres
Οἰνουνία	Genonia (V.)	Oennnia
Μυσία	Moesia (V.)	
Χάραξ	Charax	
Ἀπάμεια	Apamia	

Ptolem.	Am. M.	coniect.
Ἀρτακάνα	Artacana	
Ἑκατόμπυλος	ecatonphylos (V.)	Hecatompylos
Ἀραβίας Εὐδαίμονος θέσις (6, 7)	*Arabes beati* (§ 45)	
Γαῖα πόλις	Geapolis (V. suprascr. Hierap.)	Geapolis
*Μαόκοσμος**) *μητρόπ.*	Nascon (V.)	
Μάρα μητρόπ. C. Ox. Latt. *Βάραβα* vulgo	Baraba (V.)	
Νάγαρα μήτροπ.	Nagara	
Μαῖφα „	Mefre (V.)	Maepha
Σαπφὰρ „ B. E. Pal. I. *Ταπφαρα* Grash.	Tafra (V.)	Tapphara
Διοσκουρίδου	Dioscurida (V.)	
Ὀργάνα	Turgana (V.) in qua	Organa
Σεράπιδος, ἐν ᾗ ἱερόν	Serapidis templum	
Καρμανίας θέσις (6, 8)	*Carmania maior* (§ 48)	
— — — (Solin. p. 191, 3 Sagarius)	Sagareus (V.)	
Σαγανοῦ ποτ. ἐκβ.	Saganis (V.)	Saganus
Κανδριάκου ποτ. ἐκβ. C. M. *Ὑδριάκου* vulgo	Hydriacus (V.)	
Κάρμανα μητρόπ.	armana (V.)	Carmana omnium mater
Πορτόσπανα	Portospania (V.)	Portospana
Ἀλεξάνδρεια	Alexandria	
Ἅρμουζα πόλις	Hermupolis (V.; cf. 22, 16, 2)	Harmazupolis
Ὑρκανίας θέσις (6, 9)	*Hyrcani* (§ 50)	
Ὤξου τοῦ ποτ.	Oxus	
Μαξήρα τοῦ ποτ.	Maxera	
Σωκανάα; Σοκάνδα A. D. F. Latt.	Soconda (V.)	Socanda
Σαραπάννη	Saramanna	
Ἄσμουρνα	Azmurnam (V.)	Asmurnam
Σάκη A. B. C. D. E. Pal I. *Σάλη* vulgo	Solen (V.)	Salen
Ὑρκανία μητρόπ.	Hyrcanam (V.)	Hyrcaniam
Μαργιανῆς θέσις (6, 10)	*Margiani* (§ 51)	
Ἰασόνιον	Iasonion	

*) „*Μαόκοσμος* A. B. C. D. Ox. Latt. *Μäόκοσμος* (sic) Pal. I. *Μαόκοσκις* F. *Νάσκος* in marg. addunt B. E. *Νάσκος* vulgo." Wilb.

Ptolem.	Am. M.	coniect.
Ἀντιόχεια Μαργ.	Antiochia	
Νιγαία	Nisea (V.)	**Nigaea**
Βακτριανῆς θέσις (6, 11)	*Bactriani* (§ 55)	
Τόχαροι	chari (V.)	**Tochari**
Ἄρταμις	Artamis (V.)	
Ζαριάσπης	Zariasres	**Zariaspes**
Ὦχος ποτ.	Ochus	
Δαργαμάνις B. E. Pal. I *Δαργομάνης* vulgo	Orgomanes (V.)	**Dargomanes**
Ὦξον	Oxi fl.	
Χαῤῥαχάρτα C. D. F. Pal. I. *Χατραχάρτα* vulgo (cf. Assyr. 6, 1. *Χατραχάρτα*)	Chatra et Charte (V.)	**Chatracharta**
Ἀλικόδρα B. E. Pal. I. *Ἀλικ.* F. Latt.	Alicodra (V.)	
Ἀστακάνα	Astatia (V.)	**Astacana**
Μεναπία	Menapila (V.)	**Menapia**
Βάκτρα βασίλ.	Bactris ipsis (V.)	**Bactra ipsa, unde regnum**
Σογδιανῶν θέσις (6, 12)	*Sogdianiani* (§ 59 coniect. Vales)	
(*Βασκατίς; Μαξάτης* Steph. b. p. 71 ed. M.)	Araxates (V.)	**Iaxartes** (?)
Δύμος; Δήϊμος B. E. Pal. 1. *Δῆμος* A. D. F. Latt.	Dimae (V.)	**Dymus**
Ὠξειανὴν λίμνην C. D. E. F.; *Ὀξ.* A. B. Pal. I. *Ὀξείαν* Oxiam M.	Oxiam paludem (V.)	
Ἀλεξάνδρεια	Alexandria	
Κυρέσχατα	Crescata (V.).	**Cyreschata**.
Δρέψα μητρόπ. Ῥέψα A. D.; *ἡ Δρέψα* add. A.	Areta ipsa (V.)	**Drepsa metrop.**
Σακῶν θέσις (6, 13)	*Sacae* (§ 60)	
Ἀσκατάγκας; Ασκατάκας B. E. Pal. I.	Asca nimia (V.)	**Ascatanca** (?)
τῶν Κομηδῶν	Comedus	
Λίθινος Πύργος	Lithinon purgon (V.)	**L. pyrgon.**
Σκυθίας θέσις (6, 14)	*Scythae* (§ 61)	
Ἰμάω ὄρει	Imavos	
ὄρη Τάπουρα	apurios (V.)	**Apyrios h. e. igni carentes**
Σαρματίᾳ τῇ ἐν Ἀσίᾳ	Asiani Sarmatae	

Ptolem.	Am. M.	coniect.
Ἰαξάρται	Iaxartae	
Γαλακτοφάγοι	Galactophagi	
Ῥύμμου π. ἐκβ.	Roemuus (suprascr. n. V.)	
Ἰαξάρτην (6. 12 Scyth.)	Iaxartes	Rymmus
Δάϊκος ποτ. Δαΐκου A.	Talicus (V.)	Dacius
Ἀσπαβῶτα	Aspabota	
Χαύρανα	Chauriana (V.)	Chaurana
Σοῖτα; Σότα F. M. Fort. *Σοῖγα* vel *Σάγα*	Saga (V.)	Soeta; Fort. Saga
Σηρικῆς θέσις (6, 16)	*Serae* (§ 64)	
Ἄννιβα	Anniva (V.)	Anniba
Αὐζακίων Codd. C. Latt.	Nazavicium (V.)	Auzacium
Ἀσμιραῖα ὄρη	Asmira (V.)	Asmiraea
Ἠμωδῶν	Emodon	
Ὀττοροκόῤῥα	Opurocarra	Oporocorra (*ττ* = *π*)
Οἰχάρδης	etchartis (V.)	Chardes
Βαύτισος C. M. P. *Βαύτης* vulgo	Bautis (V.)	Bautes
Ἀνθρωποφάγων	Alitrofagi*) (V.)	Anthropophagi
Ἀννίβιοι	Anibus (V.)	Annibii
Σίζυγες	Sizyges	
Οἰχάρδαι	Chardi (V.)	Chardae (*οἱ Χάρδαι*)
Ῥαβάνναι	Rabonnae	
Ἀσμιραία χώρα	Asmirae	
Ἰσσήδονες	Essedones (V.)	
Θάγουροι M. *Ἰθάγουροι* A; B. C. D. E. Pal. I. P. Bas. *Ἀθάγουροι* F. *Ἠθάγουροι* vulgo	Athagorae (V.)	Athaguri
Ἀσπακάραι B. E. Pal. I. M.	Aspacharat (V.)	Aspacarae
Βαῦται Grash. *Βαῖται* C. E. Pal. I. *Βᾶται* vulgo	Beatae (V.)	Baetae

*) cf. Forbiger A. Geogr. II p. 466⁹: — — eine nicht naeher zu bestimmende (Völkerschaft sind) die Alitrophagi (bei Amm. 23, 6.) d. h. doch wohl die ihre Verbrecher Frevler (*ἀλιτρούς*) schlachten und verzehren. — — Wie aber Georgii, Alte Geogr. I S. 315 darauf kommt Alitrophagi zu übersetzen: „die von der See leben" und darunter die sich durch Fisch- oder Robbenfang ernaehrenden Samojeden und Ostjacken zu verstehen ist mir ein Räthsel!!

Ptolem.	Am. M.	coniect.
Ἀσμιραία; Ἀσμίρα Grash.	Asmira	
Ἰσσηδὼν Σηρική	Essedon (V.)	
Σῆρα μητρόπολ.	Fera (V.)	Sera
Ἀσπακάρα	Asparata (V.)	Aspacara
Ἀρείας θέσις (6, 17)	*Afriani* (V.)	Ariani
Ἄρειας A. D. F. M. Bas.	Arias (V.)	
Βιτάξα / *Σαρμαγάνα*	Vitaxa (cf. § 14) Sarmatina (V.)	
Σώτειρα	Sotira (V.)	
Νισιβίς	Nisibia	
Ἀλεξάνδρεια	Alexandria	
Παροπανισαδῶν θέσις (6, 18)	*Paropanisade* (§ 70 V.)	Paropanisatae
Δαργαμάνις ex p. 419, 14; *Δαργαμανις* (sic) M. Dargamanis Bas. *Δαρδαγομάνιος* C. *Γαρδαμάνις* D. E. Pal. I. *Δοργαμάνης* vulgo	Ortogordomaris (V.)	Ortogardamanes (= ὅ τε *Γαρδαμάνις* D. E. Pal. I.)
Γαζάκα	Agazaca (V.)	Gazaca
Ναυλιβίς	Naulibus (V.)	Naulibis
Ὀρτοσπάνα	Orthospana (V.)	
Δραγγιανῆς θέσις (6, 19)	*Drangiani* (§ 71)	
Ἄρβιος cum Steph. b. scripsimus *Ἀραβίου* A. P. *Ἀράβιος* vulgo (Wilbg.)	Arabium (V.) cf. explic. nominis	
Προφθασία	Profthasia V.	Prophthasia
Ἀριάσπη	Ariaspe	
Ἀραχωσίας θέσις (6, 20)	*Arachosia* (§ 72)	
Ἀραχωτὸς κρήνη	Arachotoscrenen (V.)	
Ἀλεξάνδρεια	Alexandria	
Ἀρβάκα	Arbaca	
Χοάσπα	Choaspa	
Γεδρωσίας θέσις (6, 21)	*Gerosia* (V. § 73)	Gedrosia
Ἄρβιος; Ἀραβίου A. P. *Ἀράβιος* vulgo	Artabis (V. cf. § 71)	Arabio
Ἄρβιτα	Barbitani (V.)	Arbitani
— —	Sedratira*) (V.)	
Γυναικῶν λιμήν	Cinecon limen (V.)	Gynaecon limen.

*) Adnotat Valesius: „Reg. codex [et Colbert] „Sedratira". An forte ea est, quae apud Ptolemaeum *Σωσξέτρα* [= *Σωξίστρα* B. E. Pal. I.]?" Hoc

Habemus igitur in hoc „excessu“ ammianeo antiquissimum Ptolemaei codicem nempe saec. IV, quem nemo postea Ptolemaei geographiam editurus impune negliget, ut Wilbergius, cuius totam operam in Ptolemaeo collocatam hodie minime sufficere, vix est cur moneam. —

Multo autem maioris momenti haec ammianea Persiae descriptio esset, si non auctor Ammiani latinus, sed Ammianus ipse Ptolemaei geographia usus esset. Nunc enim idem fere valet, atque antiqua versio latina et isdem depravata est mendis. *) Adde, quod ne codex quidem, ab auctore Ammiani adhibitus, classis fuisse videtur potioris; nam nusquam fere cum codicibus conspirat optimis, qui hodie superstites sunt: B. E. Pal. I **), sed plerumque cum M. aliisque notae inferioris.

23, 6, 14 — — quas Vitaxae — — curant et regis satrapae — —

V: quas Vitaxae — — curant et **reges et** satrapiae. Scribendum igitur: „quas Vitaxae — — curant et reges (= reguli) et satrapae“. —

23, 6, 14 — — Scythia ultra Emodem montem — — —

V: — — Scythia ultra **eun**dem montem.

Satis neglegenter editores hoc loco: „Emo**dem**“ scripserunt (propter „eun**dem**“) et § 64 „Emo**don**“. Sed quod multo est gravius, hoc loco omnem Scythiam Emodo monte dividi contendunt — quamquam recipere omiserunt: „infra et“ ultra Em. m. — tametsi Ammianus ipse § 64 Emodon montem omnino non in Scythia, sed in Serica situm esse perhibet. Ex §§ 61—63 Scythiae descriptione nostrum locum emendare

---

loco, quin a vero aberraverit vir ille doctissimus, dubitari nequit. — Nescio, an mutemus *Sedratira* / *Gedrosi a*: „praeter insulas Gedrosiae *** et Gynaecon l.“ Cf. verba Ptolemaei: *νῆσοι δὲ παράκεινται τῇ Γεδρωσίᾳ.*

*) Commutantur *π* et *τι*, *τ* et *ϑ*, spir. asper et lenis; genetivi in —*ος* et *ας* pro nominativis accepti e. q. s. s.

**) Siglis utor wilbergianis.

non possumus, quoniam Ammianus alium secutus auctorem unam tantum et indivisam tradit Scythiam §§ 61—62. — Sed § 64, ubi Ptolemaei sequitur vestigia (Am. M. 23, 6, 64 — 65 = Ptol. 6, 16), de „utraque“ sermo fit Scythia. Quamobrem § 14 Ptolemaei provinciarum catalogo emendemus adhibito.

Ptol. 6, 1	Am. M. 23, 6, 14	Am. M. 23, 6, 15 sqq.
α'. Ἀσσυρίας	1. Assyria	1. Assyria § 15
β'. Μηδίας	3 Media	3. Media § 27
γ'. Σουσιανῆς	2. Susiana	2. Susiana § 26
δ'. Περσίδος	4. Persis	4. Persis § 41
ε'. Παρθίας	5. Parthia	5. Parthia § 43
ς'. Καρμανίας Ἐρήμου		
ζ'. Ἀραβίας Ευδαίμ.		6. Arabia Felix § 45
η'. Καρμανίας	6. Carmania mai.*)	7. Carmania maior § 48
θ'. Ὑρκανίας	7. Hyrcania	8. Hyrcani § 50
		9. Abii § 53
ι'. Μαργιανῆς	8. Margiana	10. Margiani § 54
ια'. Βακτριανῆς	9. Bactriani	11. Bactriani § 55
ιβ'. Σογδιανῶν	10. Sogdiani	12. Sogdiani § 59
ιγ'. Σακῶν	11. Sacae	13. Sacae § 60
ιδ'. Σκυθίας τ. ἐντὸς Ἰμάου ὄρ.	12.	Scythia § 61
ιε'. Σκυθίας τ. ἐκτὸς Ἰμάου ὄρ.	13. Scythia ultra eundem montem	
ις'. Σηρικῆς	14. Serica	15. Serae § 64
ιζ'. Ἀρείας	15. Aria	16. Ariani § 69
ιη'. Παροπανισαδῶν	16. Paropanisadae	17. Paropanisadae § 70
ιθ'. Δραγγιανῆς	17. Drangiana	18. Drangiani § 71
κ'. Ἀραχωσίας	18. Arachosia	19. Arachosia § 72
κα'. Γεδρωσίας	19. Gedrosia	20. Gedrosia § 73.

Quae cum ita sint § 14 Arabiam Felicem textui inserere non dubito, et postea Ammiani verba sic restituo:

Scythia *infra Imaum et* ultra eundem montem.

23, 6, 16 Hic et naphtha gignitur — —

---

*) „Carmania *maior*“ quid sit nescio; de Carmania *minore* v. K. Müllenh. Ueber die Weltkarte und Chorographie des Kaiser Augustus p. 47.

V: „hic et naptali gignitur". — Hasce Vaticani codicis litteras, quibus monachus quidam Ammianum corrigere studebat, mutare malo in: naptaf h. e. naphthas; quam formam sallustianam*) restituere audeo, cum persuasum mihi habeam, magnam partem §§ 16 et 38 desumptam esse ex Sallusti Historiis.

Sall. Hist. IV, 54 (ed. Dietsch)	Am. M. 23, 6, 16, 37, 38
— — quod naphtha [scr. naphthas]	§ 16 hic et naphtha gignitur
sit genus fomitis apud Persas,	§ 38 quae species gignitur apud Persas
quo vel maxime nutriantur incendia.	§ 37 aestus excitat acriores incendiorum
genus olei cedro simile.	similis oleo crassiori.

Alios praeterea locos inveni hosce:

Sall.	Histor.	I, 8 (ed. D.)	=	Am.	M.	15, 12, 6	
„	„	II, 21	=	„	„	15, 10, 10	
„	„	II, 39	=	„	„	22, 16, 24	
„	„	II, 43	cf. c.	„	„	17, 7, 11	(Serv. ad Verg. Ge. 2, 479)
„	„	III, 29	=	„	„	23, 6, 56	
„	„	III, 44	=	„	„	22, 8, 10	(Ukert. Geogr. II, 479)
„	„	III, 45	=	„	„	22, 8, 46	
„	„	III, 46	=	„	„	22, 8, 14	
„	„	III, 48	=	„	„	22, 8, 20	
„	„	III, 49	=	„	„	22, 8, 27	(Serv. ad V. Aen. 9, 659)
„	„	III, 51	=	„	„	22, 8, 42	
„	„	III, 52	=	„	„	22, 8, 25	(et 33)
„	„	V, 1	=	„	„	23, 6, 6	

Accedunt alia, quae ex Sallusti Historiis derivanda esse verisimile est ut Am. M. 16, 7, 9 — 10 et Sisennae fragmenta: Am. M. 22, 9, 5 (= fr. 15 Sall. ed. Gerl. p. 377, 1) et 31, 2, 18 (fr. 9. Sall. ed. Gerl. p. 374, 10). —

23, 6, 16 — — nullum inveniet humana mens praeter pulverem exstinguendi commentum.

*) Probus p. 123: Unum inveni barbarum monoptoton 'naphtas'; Sallustius posuit. cf. p. 130.

Am. M. 23, 4, 15	Am. M. 23, 6, 37	Am. 23, 6, 16
Et, si emissa lentius arcu invalido (ictu enim rapidiore exstinguitur) haeserit usquam, tenaciter cremat	— — si emissum lentius laxiore arcu (nam ictu exstinguitur rapido) haeserit usquam, tenaciter cremat;	et cum hoc liquoris ardere coeperit genus,
aquisque conspersa acriores excitat aestus incendiorum,	et si aqua voluerit abluere quisquam, aestus excitat acriores incendiorum,	
nec remedio ullo quam superiacto pulvere consopitur	nec remedio ullo quam iactu pulveris consopitur.	nullum inveniet humana mens praeter pulverem exstinguendi commentum.

Argumentis non opus est propedituro: nullum invenit humana mens — — exstinguendi commentum. —

23, 6, 21 pro: „iuncti navalibus pontibus“ lego: „iunctis navalibus pontibus“.

Cf. 22, 8, 4 unde, iunctis pontibus Xerxes etc.
24, 3, 11 constratis ponticulis etc.
24, 6, 2 contextis pontibus etc.

23, 6, 21 et a Baeti amne insigni provincia Baetica.

V: et a beti amne insignis provincia B. Si adiectivum illud „insignis“ coniungimus cum provincia Baetica, non videmus cur Hiberia hoc epitheto careat; si cum Baeti flumine, etiam apud Hiberum talia expectamus. — Hunc nodum chorographus solvit plinianus, cui finem *) § 21 desumpsit Ammianus.

Sol. p. 117, 5	Am. M. 23, 6, 21
Hiberus toti Hispaniae nomen dedit, Baetis provinciae, uterque nobilis.	itidemque Hiberia ex Hibero, nunc Hispania, et a Baeti amne insignis provincia Baetica.

*) De ceteris v. 22, 15, 3 (Nilus = Aegyptus); 23, 6, 72 (India); 14, 8, 7 (Commagene = Euphratensis). —

Quod igitur de utroque fluvio apud auctorem dictum reperit Ammianus ad unum referre maluit scribendo: et a Baeti amne insigni etc.

23, 6, 24 — — adusque Rhenum et Gallias cuncta contagiis polluebat et mortibus.

V: adusque rheabmet gallias ētc. — Rhenum flumen nemo non concedet temere editores insinuasse; mihi in mentem venit: „Rhebam (cf. 22, 8, 14) et Gallum“ (cf. 26, 8, 3); haec enim flumina in Asiae parte invenimus occidentali.

23, 6, 25 et flumen regium et Euphrates. Formam „flumen regum“, quam tuentur loci: 24, 2, 7 et 24, 6, 1 *), inserere non licet propter Ptolemaei verba (5, 19) *Βασίλειος ποταμός*.

23, 6, 30 Sunt apud eos prata virentia: fetus equarum nobilium.

V: *dent* apud eos prata virentia fetus equorum (**o** corr. in **e**) nobilium etc.

Nescio an scribendum sit: „edunt“.

Cf. 22, 15, 15: per ora edens fetus anserinis similia. — 22, 15, 22 quas aves per rostra edere fetus accepimus. — 23, 6, 67 a quibus arborum fetus etc.

Quae cum ita sint haec Ammianum scripsisse arbitror: *Edunt* apud eos prata virentia fetus equ**o**rum (cf. infra: Nisae**o**s) nobilium, quibus (ut scriptores antiqui docent, *nosque* (sic V.) videmus etc.

23, 6, 40 — — cum ereptum ire regna Scythica destinaret (Cyrus).

V: — — testinaret [prima littera expuncta suprascr. d.].

Sine dubio illud **t**, quod altera sustulit manus, emendandum est in **f**: cum ereptum ire regna Scythica **festinaret**.

---

*) 24, 2, 7 alia Nahamalcha [scr. Naharmalcha] nomine, quod fluvius regum interpretatur. — 24, 6, 1 Ventum est ad fossile flumen, Naharmalcha nomine, quod amnis regum interpretatur.

Consilium Scythis belli inferendi et huius nominis mutatio nullo cohaerent vinculo; neque enim ad denominandum fluvium quidquam intererat, quo in loco Cyrus consilium illud cepisset. Sed in ipsa quam contra Tomyrim fecit expeditione hunc fluvium tetigit, quem adamavit (ut finxerunt poetae) et suo honoravit nomine. —

23, 6, 40 (Carmania) — — caespitisque ubere iuxta fecunda.

Hanc omnium codicum et editionum scripturam omnino ferri non posse non dixerim. Legitur apud Verg. Aen. 7, 262: divitis uber agri; et Verg. Aen. 1, 531:

terra antiqua, potens armis atque ubere glaebae.

Sed in Ammiani libris nullum praeterea inveni exemplum; multoque melius procedit oratio, duabus mutatis litterulis: caespiteque ubere iuxta fecunda.

Cf. 23, 6, 64 circumspecti ubertate regionum. — 14, 8, 1 ubere palmite viret. — 31, 3, 1 late patentes et uberes pagos. — 31, 6, 4 opimas regiones et uberes etc.

23, 6, 54 et quamquam pleraque sunt ibi deserta aquarum paenuria, quaedam etc.

„Soli paenuria“ cum h. l. dici nequeat, editores „soli“ eliminarunt; sed transponendo non eiciendo locus sanatur: „quamquam pleraque sunt ibi deserta soli aquarum paenuria, quaedam“ etc.

Cf. 17, 13, 4 ubi *pleraque* humidioris *soli* natura et incrementis fluminum redundantia stagnosa sunt (v. Haupt. Ind. berol. 1868 p. 7) et referta salicibus etc.

Similia transpositionis exempla inveni: 15, 10, 9; 10; 11; 18, 9, 3; 22, 16, 18 et saepius. —

23, 6, 56 et pecus — — membris est magnis compactum et validis. —

Altero comparato loco 31, 2, 2: „compactis omnes firmisque membris — — ut bipedes existimes bestias“ pro-

ponam: et pecus — — membris est **magis** compactis et validis. —

23, 6, 59 Sub imis montium pedibus — —

Adnotat Valesius: Desunt autem hic nonnulla, quae sic suppleri possunt: Hinc Sogdiani agunt sub imis montium pedibus etc. Quam summus ille vir mihi non solum persuasit coniecturam; sed praeterea laudem Sogdianae fertilitatis excidisse censeo (ut § 64 „ubertate regionum circumspecti“ vel similia); quam sententiam non adeo temerariam esse postea, data occasione, me spero demonstraturum esse ex tota huius ammianei fontis indole atque natura.

22, 6, 59 — — Araxates et Dymas, qui per iuga vallesque praecipites in campestrem planitiem decurrentes Oxiam nomine paludem efficiunt.

V: Araxates et D**imae** iuga vallesque praecipites in campestrem plani**cii fluuii** decurrentes etc.

Infelicissima coniectura editores ante „iuga“ inserendum esse putaverunt: „qui per“ et Ammianum tradentem fecerunt, Araxatem et Dymam Oxiam paludem efficere, id quod ante omnia Oxo flumini ipsi tribuendum esse apparet. Locum sanabimus fortius interpungendo post „Dymas“: — — Araxates et Dymas; iuga vallesque praecipites in campestrem plani**tiem alii fluvii per**currentes Oxiam nomine paludem efficiunt longe lateque diffusam.

„Alii“ inferendum putavi, ut Araxates et Dymas fluminibus opponantur, quae Oxiam paludem efficiunt.

23, 6, 61 Circa defectus et crepidines montium, quos Imavos et Tapurios vocant etc.

Hasce §§ 61—62 non ex Ptolemaeo desumptas esse facile vides, vel eam ob caussam, quam antea tetigi in provinciarum examinando catalogo (§ 14), quod de una tantum sermo fit Scythia, non de utraque ut § 64. — Vaticanus codex cum non „Tapurios“ sed „apurios“ exhibeat, omnes lenissima quidem

medela „Tapurios“ ediderunt, neque tamen recte. — Non enim hoc solum loco forma „Apurii“ codicum auctoritate defenditur, sed etiam apud Dionysium periegetem v. 733, sed hoc quoque loco textum depravarunt editores:

— — ἄγχι δὲ Μάρδοι
Ὑρκάνιοι Ταπυροί κτλ.

Adnotat Müllerus: „733 *τ' Ἄπυροί τ'* E. K. L. O. b. g. k. m. Ald.; „Apyri“ etiam Avien. 908 et Priscian. 712 mira ignorantia“.

Avien. v. 908 — — Mardi celeres Hyrcani Apyrique. Prisc. v. 712 Hinc Apyri, per quos Mardus devolvitur amnis.

Quibus adde, quae in prolegg. disputavit Müllerus p. XXIX. — Iam antea geographi duas Tapuriorum gentes fuisse putaverunt (Forb. A. Geogr. II p. 567. 589) et ab omni mutatione abstinendum esse apertum est. — Sed causas indagare et inquirere, fueritne Apyrorum gens necne, et utrum unius decepti auctoritate geographi illi aberraverint a vero, nunc quidem non est nostrum. Sufficiet demonstrasse Vaticani codicis retinendam esse scripturam. —

23, 6, 75 Sed ut generaliter corpora describamus et mores — —

In Vaticano libro reliqua prorsus eadem leguntur; sed in fine: — — describemus et priores; quae legenda censeo deleta copula „et“: describamus, primores*) graciles paene sunt omnes. Hac enim digressionis parte (§ 75—84) „hominum diversitates“ Ammianus sibi sumpsit describendas, h. e. et corporum et morum. Atque verbis: „sed ut generaliter corpora describamus“ primam propositi adgreditur partem, in qua alterius commemorationem nullum habere locum facile perspicitur. Sed vocabulo restituto „primores“ omnia recte sese habent. Opponuntur enim primoribus § 80 „servi et plebeii obscuri“. — Similiter in simili loco 31, 2, 14: et *humiles*

*) Cf. Philol. v. XXVI p. 164[13] primores, proceres, principes.

quidem minutis atque raris, *nobiles* vero latis fucatis et densioribus notis. — 15, 12, 4 Gallorum populus dividitur in (nobiles et) humiles.

23, 6, 86 Concussae vero saepissime metu fulgurum inanescunt.

Hunc locum ex chorographia pliniana desumptum totum exscripsit Mommsenus (Sol. praef. p. XXVII) collatis Plinii Soliniquc locis.

Plin. n. h. 9, 108	Am. M. 23, 6, 86	Solin. p. 221, 18
si fulguret, comprimi conchas ac pro ieiunii modo minui, si vero etiam tonuerit, pavidas ac repente compressas quae vocant physemata efficere etc.	concussae vero saepissime metu fulgurum inanescunt, aut debilia pariunt aut certe vitiis diffluunt abortivis.	si repente micaverit coruscatio, intempestivo metu comprimuntur clausaeque subita formidine vitia contrahunt abortiva etc.

Quibus locis comparatis, Ammiani illud „concussae“ respondere apparet soliniano „clausae“ plinianoque „compressas“.

Atque cum in codice Vaticano distincte scriptum extet: „conclusae“, dubitari nequit quin Ammiano reddendum sit: Conclusae vero saepissime metu fulgurum inanescunt etc.

27, 4. — 31, 2.

In hac de Hunnorum moribus digressione restituenda magno nobis erit adiumento Iordanis liber de Getarum sive Gothorum origine et rebus gestis.

Am. M. 31, 2, 2	Jord. c. 24 p. 97 ed. Closs
Ubi quoniam ab ipsis nascendi primitiis infantum ferro sulcantur altius genae, ut pilorum	Nam maribus ferro genas secant — — 2. facies ferro sulcata tempestivam

Am. M.	Jordanis.
vigor tempestivus emergens corrugatis cicatricibus hebetetur, senescunt imberbes absque ulla venustate spadonibus similes.	pilorum gratiam per cicatrices absumit. 1. Hinc imberbes senescunt et sine venustate ephebi*) sunt.
compactis omnes firmisque membris et opimis (V: opitmis) cervicibus.	firmis cervicibus
prodigiosae formae et pandi	quod erat eis species pavendae (al.: — da) nigredinis.
ut bipedes existimes bestias — — in hominum figura — —	Hi vero sub hominum figura vivunt beluina saevitia.
Post alia:	Post alia:
(Alani) Hunnis per omnia suppares, verum victu mitiores et cultu.	Alanos quoque pugna sibi pares, sed humanitate, victu formaque dissimiles.

31, 2, 2 — — prodigiosae formae et pandi.

V: prodigiose formes et pandi h. e. prodigiosae formae sed pandi. — Adiectivum „pandi" non aliter intellegi potest nisi „procurvati in senum modum" quod in Hunnorum parvas figuras, qui corporibus utebantur duratissimis, non quadrare facile vides vel propter Iordanis verba: firmis cervicibus et superbia semper *erectis.* — Quae cum ita sint, medelam invenisse mihi videor nostro loco scribendo: prodigiosae formae et pavendae. —

31, 2, 3 — — carne vescuntur, quam inter femora sua et equorum terga subsertam — —

V: — — femora sua *uaporum q* terga etc.

Leg.: — — femora sua equorumque terga etc.

31, 2, 9 — — quod procul missilibus telis, acutis ossibus pro spiculorum acumine arte mira coagmentatis sed distinctis: cominus — — confligunt.

*) Duas res confundit J. „spadones" accipiens pro „ephebis".

V: — — pro spiculorum *acum ine ar* coagmentati sed distin*) . . . . [lacuna duodecim litter.] comminus ferro sine sui respectu con . . . [lacuna septem litt.] hostisque dum etc. — Priorem lacunam duodecim litterarum superfluo vocabulo „distinctis“ supplere conabatur Mariangelus Accursius, quod non solum languere patet, sed ne litterarum quidem numero satisfacere. — Quamobrem in alia omnia discedendum est, nec dubitandum, quin hanc fere sententiam exprompserit Ammianus: — — coagmentatis et distantia percursa cominus ferro sine sui respectu confligunt (procul — distantia percursa — cominus). Vulgatam illam scripturam ferri non posse iam Erfurdtius vidit: „Hoc fateor me non intelligere. Fortasse scribendum: distincti i. e. composita acie“!

31, 2, 10 Omnes enim sine sedibus fixis absque lare vel lege aut ritu stabili dispalantur.

Locos inspiciamus simillimos.

Am. M. 14, 4, 3	Am. M. 31, 2, 10	Am. M. 31, 2, 18
Nec eorum quisquam aliquando stivam adprehendit — — aut arva subigendo quaeritat victum,	Nemo apud eos arat, nec stivam aliquando contingit.	2. aut versandi vomeris cura.
sed errant semper per spatia longe lateque distenta sine lare sine sedibus fixis aut legibus.	Omnes enim sine sedibus fixis, absque lare vel lege aut ritu stabili dispalantur	1. Nec enim ulla sunt illisce tuguria
§ 4 Vita est illis semper in fuga	semper fugientium similes	
§ 5 ut alibi mulier nubat,	alibi conceptus,	maresque supra cum feminis coeunt
in loco pariat alio,	natusque procul	et nascuntur in his
liberosque procul educat	et longius educatus	et educantur infantes

*) „In exemplari [Colbert] et Tolos. ac Regio scriptum inveni: „sed distint“. Vales.

In voce illa „ritu“ haereo, quam ab huius loci sententia abhorrere censeo; Ammianum enim „ritu“ pro „modo“ accepisse constat:

31, 2, 11 animalium ritu; 31, 2, 18 ferino ritu; 31, 8, 8 belluae ritu; 22, 8, 42 ferarum taetro ritu; 24, 1, 10 uxores sortitus gentis ritu complures; 31, 2, 2 sed gladius barbarico ritu humi figitur. —

Mutatione lenissima haec reparare licet: „*victu* stabili.“

Cf. 23, 6, 49 victu tamen et cultu perquam copiosae.
31, 2, 21 verum victu mitiores et cultu.
31, 9, 4 cultiore victu parumper adsumpto.

31, 2, 22 — — senescentes enim et fortuitis mortibus mundo digressos ut degeneres et ignavos conviciis atrocibus insectantur.

Strab. p. 514	Am. M. 23, 6, 43	Am. M. 31, 2, 22
— — *ἀπὸ Κασπίων πυλῶν — — εἰς μὲν Ἑκατόμπυλον χιλίους ἐνακοσίους ἑξήκοντά φασιν* = Eratosth. ed. Bernh. p. 99)	et Hecatompylos, a cuius finibus per Caspia littora adusque portarum angustias stadia quadraginta numerantur et mille(?)	
	[§ 67 utque hominibus sedatis et placidis otium est voluptabile]	Utque hominibus quietis et placidis otium est voluptabile,
p. 513 *θάνατος δὲ νομίζεται παρ' αὐτοῖς ἄριστος.*	§ 44 eosque ita certamina iuvant et bella, ut iudicetur inter alios omnes beatus, qui in proelio profuderit animam.	ita illos pericula iuvant et bella. Iudicatur ibi beatus, qui in proelio profuderit animam.
ὅταν γηράσαντες — — τοὺς δὲ νόσῳ θανόντας ῥίπτουσιν ὡς ἀσεβεῖς καὶ ἀξίους κτλ. (cf. Herod. 2, 216)	Excedentes enim e vita morte fortuita conviciis insectantur ut degeneres et ignavos.	senescentes enim et fortuitis mortibus mundo digressos ut degeneres et ignavos conviciis atrocibus insectantur.

Ammiani verba „ut degeneres et ignavos" prorsus recte sese habere, primo vides adspectu, quamobrem Strabonis illud *ἀσεβεῖς* contra codicum auctoritatem mutare non dubito in *ἀγενεῖς* (i. e. 'degeneres').

Haec sunt, quae nunc velim proponere studiorum, quae in Ammianum contuli, specimina, non nescius equidem relictam esse in his digressionibus permagnam arenam artis criticae factitandae.

Lipsiae typis expresserunt Fischer et Wittig.

